



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig

Salisburgi, 1693

Privilegium XV. Hereditatem delatam Religioso capit Menasterium etiam
eo mortuo ante additam hereditatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

de Bon, qua lib. Barth. in l. c. de Vulg. subst. n. 21. Fachin. c. contror. c. 17.

Utrum autem Religiosi non tantum in simplicibus hereditatibus, sed etiam in feudis & Majoratibus succedant, videatur affirmans Barbosa in Collect. ad auth. ingressi. C. de SS. Eccles. n. 13. Et in tract. Jur. Eccles. Vn. ab. 3. c. 31. n. 3.

PRIVILEGIUM. XV.

Hereditatem delatam Religioso capit Monasterium etiam eo mortuo ante additam hereditatem.

- 1. Religiosus vivo Testatore decedens nihil transmittit in Monasterium.
- 2. Secus si post Testatorem decedat.
- 3. Religiosus retinet Jus suarum.

SI Religiosus vivo adhuc Testatore, adeoque ante delatam hereditatem decesserit, satis convenit DD. quod tunc Monasterium nihil pretendere possit, cum enim vivens non sit hereditas, nihil juris in ea potuit Religiosus in Monasterium transfere, sed solum spem, qua evanuit, ubi primum Religiosus per mortem defuit esse sicut Monasterii. Ita ex Viv. refert Barb. in d. l. Deo nobis. n. 14.

At vero si Religiosus mortuus sit post Testatorem, & ita jam post declaratam hereditatem, illa mors non nocet Monasterio, quia hereditatem petere possit, nam cum Religiosus omnia sequitur Monasterio, ista hereditas delata, & jus eam ad vadi jam semel fuit Monasterio acquisitum, sicut docet Panorm. in c. in presentia de Probat. n. 77. & Fach. c. contror. c. 18.

Et haec Conclusio vel maxime procedit, si de hereditate paterna agatur, ubi non tantum ex ratione praedicta, quod scilicet Monasterio jus ad eundem jam acquisitum sit, sed etiam ex capite suarum (quae per Professionem non tollitur) in Monasterium hereditas non adita transmittitur. Barb. d. l. n. 14. Barb. in l. si infanti. C. de iure delib. n. 10.

PRIVILEGIUM XVI.

Monasterium succedit in Fideicommissis sine liberis, &c.

Explicatur assertum.

2. Extenditur.
 3. Restringitur.
 Si alium hereditas vel legatum relictum sit, & si absque liberis decesserit, per fideicommissum ei substituat extraneus, institutus vero vel Legatarius Monasterium bonorum capax ingrediatur, expiabit fideicommissum, & Monasterium per modum filii succedet.

Hoc Privilegium communiter colligunt & tradunt DD. ex c. in presentia s. de probat. & Novella 113. cap. 37. Idque extendit Panorm. in eod. c. 8. n. 48. ut procedat, tametsi adjectum sit, si sine liberis legitimis ex suo corpore procreatis decesserit, quia adhuc testator non de Monasterio, sed liberis adoptatis & naturalibus tantum excludendis cogitare censetur.

Cessare tamen videtur haec praesumptio pro Monasterio, si fideicommissum ita conditionatum ad propagationem insignis alicujus familiae institutum esset, tunc enim bona ad summum in vita tantum Religiosi apud Monasterium manent, eo vero mortuo ad substitutos de familia probabilis pertinerent. Vid. Gutier. Can. 99. lib. 1. c. 23. Cov. var. Resol. lib. 2. c. 19. n. 6. & seq.

ADNOTATIO.

Hoc privilegium aperte traditur in Nov. 113. c. 38. his verbis. Si quis sub conditione nuptiarum, sive liberorum sive doti causa, aut tenentialis donationis donaverit sive reliquerit suis liberis sive alii cuiusque persona hereditatem sive legatum aut ab initio pure relinquerit, omnes eos substitutione aut restitutione, aut sub una praedictarum conditionum reliquerit vel donaverit, substitutiones vero vel restitutiones en fecerit adjectis conditionibus quibuscumque ex his, quae superioribus enumeratae sunt: sancimus, si personae talibus conditionibus subiecta sive masculis sive foemina Monasteria ingrediuntur, aut Clerici Diaconisse aut Ageretis fiant. tales conditiones invidiosas & pro non scriptis esse. Et pauld post; in personis enim qua Monasteria ingrediuntur, Monasterio res sub conditione donatae aut relictae cum alio eorum substantia competere volumus. Nota praeterea ex hoc textu, quod etiam illa conditio habeatur pro non adjecta, si quis ita legaverit: Tunc si non Religionem ingressus fuerit, lego 100.

